

PRIMA DIE NON IMPEDITA POST IV. JANUARII.

IN FESTO

SANCTI TITI EPISCOPI  
CONFESSORIS.

INTROITUS.

Eccli. 45.

**S**tátuit ei Dóminus testaméntum pacis: et príncipem fecit eum: ut sit illisacerdótii dignitas in aetérnum.

**Psalm.** 131. Meménto Dómine Da-vid: et omnis mansuetúdinis ejus.

X. Glória Patri etc.

ORATIO.

**D**eus, qui beátum Titum Confes-sórem tuum atque Pontíficem apostólicis virtútibus decorásti; ejus méritis, et intercessióne concéde, ut juste, et pie vivéntes in hoc sáeculo, ad coeléstem patriam pervenire me-reámur. Per Dóminum nostrum Jesum Christum etc.

*Inde Commem. Feriae, si in Quadra-gesima.*

Léctio libri Sapiéntiae.

Eccli. 44. et 45.

**E**cce sacérdos magnus, qui in dié-bus suis plácuit Deo, et invéntus est justus: et in témpore iracúndiae factus est reconciliatio. Non est invéntus símilis illi, qui conservávit legem Excélsi. Ideo jurejurándo fecit illum Dóminus créscere in ple-bem suam. Benedictiónem ómnium géntium dedit illi, et testaméntum suum confirmávit super caput ejus. Agnóvit eum in benedictiónibus suis: conservávit illi misericórdiam suam: et invénit grátiam coram oculis Dómini. Magnificávit eum

in conspéctu regum: et dedit illi corónam glória. Státuit illi testaméntum aetérnum, et dedit illi sacer-dótium magnum: et beatificávit illum in glória. Fungi sacerdótio, et habére laudem in nōmine ipsius; et offérrre illi incénum dignum, in odórem suavitatis.

**Graduale.** Eccli. 44. Ecce sa-cérdos magnus, qui in diébus suis plácuit Deo.

X. Non est invéntus símilis illi, qui conserváret legem Excélsi. Allelúja, allelúja.

X. Psalm. 109. Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Mel-chíscedech. Allelúja.

*Post Septuagesimam, omissis Alle-lúja, et Versu sequenti, dicitur:*

**Tractus.** Psal. 111. Beatus vir, qui timet Dóminum: in mandátis ejus cupit nimis.

X. Potens in terra erit semen ejus: generatio rectórum benedicétur.

X. Glória, et divítiae in domo ejus: et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

*Tempore Paschali omittitur Gra-duale, et ejus loco dicitur, Allelúja, allelúja.*

X. Psalm. 109. Tu es sacérdos in aetérnum, secúndum órdinem Mel-chíscedech. Allelúja.

X. Hic est sacérdos, quem coro-návit Dóminus. Allelúja.

**Sequentia Sancti Evangélii secundum Lucam.**

*Luc. 10. 1.*

**I**n illo tempore: Designávit Dóminus et álios septuaginta duos: et misit illos binos ante fáciem suam, in omnem civitatem et locum, quo erat ipse venturus. Et dicébat illis: Messis quidem multa, operárii autem pauci. Rogáte ergo Dóminum messis, ut mittat operários in messem suam. Ite: Ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sácculum, neque peram, neque calceaménta, et néminem per viam salutavéritis. In quamcúmque domum intravéritis, primum dícite: Pax huic dómui: Et si ibi fúerit filius pacis, requiéscet super illum pax vestra; sin autem ad vos revertétur. In eádem autem domo manéte, edéntes et bibéntes, quae apud illos sunt: dignus est enim operárius mercéde sua. Nolite transíre de domo in domum. Et in quamcúmque civitatem intravéritis, et suscéperint vos, manducáte quae apponúntur vobis: et curáte infir-

mos, qui in illa sunt, et dícite illis: Appropinquávit in vos regnum Dei.

**Offertorium.** *Psal. 88.* Invéni David servum meum, óleo sancto meo unxi eum: manus enim mea auxiliabitur ei, et bráchium meum confortabit eum.

**SECRETA.**

**S**ancti tui, quæsumus Dómine, nos ubique laetificant: ut dum eórum mérita recólimus, patrocínia sentiámus. Per Dóminum nostrum.

**Communio.** *Luc. 12.* Fidélis servus, et prudens, quem constituit dóminus super famíliam suam: ut det illis in tempore trítici mensúram.

**POSTCOMMUNIO.**

**P**raesta quæsumus omnípotens Deus: ut de percéptis munéribus grátias exhibéntes, intercedénte beáto Tito Confessóre tuo, atque Pontifice, beneficia potióra sumámus. Per Dóminum.

**DIE I. FEBRUARII.**

**PRO COMM. S. BRIGIDAE VIRG.**

**ORATIO.**

**S**anctae Brígidae, Vírginis tuae, Dómine, quæsumus, precatio tibi grata nos ádjuvet: et tuam nobis indulgentiam póscre non desistat. (Per Dóminum.)

**SECRETA.**

**M**unéribus nostris, Dómine, sanctae Brígidae, vírginis tuae,

festa celebrantes, praesta quæsumus; ut, quae peccatórum nostrorum praepediúntur obstáculis, illius méritis tibi reddántur accépta.

**POSTCOMMUNIO.**

**Q**uae sumus, omnípotens Deus; ut, cujus nos commemoratiōne tribuis gaudére, ejus memóriae fárias veráciter imitatores.

DIE VIII. DECEMBRIS.  
IN FESTO  
IMMACULATAE CONCEPTIONIS  
BEATAE MARIAE VIRGINIS.

INTROITUS.

Ps. 65.

Veníte, et vidéte, et narrábo vobis,  
Omnes qui timétis Deum, quanta  
fecit Dóminus ánimae meae.

Ps. 102. Bénedic áima mea Dó-  
mino, et ómnia quae intra me sunt,  
nómini sancto ejus.

Glória Patri, et Fílio, et Spirítui  
Sancto. Veníte.

ORATIO.

Deus, qui per immaculátam Vírgi-  
nis Conceptiónem dignum Fílio  
tuo habitáculum praeparásti, ejus  
nobis intercessióne concéde, ut cor  
et corpus nostrum immaculátum Tibi,  
qui Eam ab omni labe præservásti,  
fidéliter custodiámus. Per eúmdem  
Dóminum nostrum Jesum Christum  
Fílium tuum: Qui tecum vivit et re-  
gnat in unitáte Spíritus sancti Deus:  
per ómnia saecula saeculórum.

Léctio Libri Sapiéntiae.

Prov. 8.

Dóminus possédit me in início viá-  
rum suárum, ántequam quidquam  
fáceret a princípio. Ab aetérno or-  
dináta sum, et ex antíquis, ánte-  
quam terra fíeret. Nondum erant  
abýssi, et ego jam concépta eram:  
necdum fontes aquárum erúperant:  
necdum montes gravi mole constí-  
terant: ante colles ego parturiébar:  
adhuc terram non fécerat, et flú-  
mina, et cárdenes orbis terrae.  
Quando praeparábat caelos, áderam:

quando certa lege, et gyro vallá-  
bat abýssos: quando aethera fir-  
mábát sursum, et librábát fontes  
aquárum, quando circúmdabat mari  
téminum suum, et legem ponébat  
aquis ne transírent fines suos:  
quando appendébat fundaménta ter-  
rae. Cum eo eram cuncta com-  
pónens: et delectábar per síngulos  
dies: ludens coram eo omni tém-  
pore, ludens in orbe terrárum: et  
delíciae meae esse cum fíliis hómi-  
num. Nunc ergo, filii, audíte me:  
Beáti qui custódiunt vias meas.  
Audíte disciplínam, et estótē sapi-  
éntes, et nolíte abjícere eam. Beá-  
tus homo qui audit me, et qui ví-  
gilat ad fores meas quotídie, et  
obsérvat ad postes óstii mei. Qui  
me invénerit, invénet vitam, et  
haúriet salútem a Dómino.

Graduale. Sapiéntia aedificá-  
vit sibi domum, excídít colúmnas  
septem.

XV. Sanctificávit tabernáculum  
suum Altíssimus: Deus in médio  
ejus non commovébitur. Allelúja,  
Allelúja.

XV. Ave María grátia plena:  
Dóminus tecum. Allelúja.  
Post Septuagesimam, omissis Alle-  
lúja, et XV. seq. dicitur.

Tractus. Fecit mihi magna  
qui potens est, et sanctum nomen  
ejus.

XV. Misericórdia ejus a progénie  
in progéniem timéntibus eum.

**XV.** Fecit poténtiam in bráchio suo, dispérsit supérbos mente cordis sui.

*Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur: Allelúja, Allelúja.*

**XVI.** Sanctificávit tabernáculum suum Altíssimus: Deus in médio ejus non commovébitur. Allelúja.

**XVII.** Fundaménta ejus in móntibus sanctis. Díligit Dóminus portas Sion super ómnia tabernácula Jacob. Allelúja.

### Inítiu[m] Sancti Evangélii secúndum Matthaeum.

Cap. 1.

**L**iber generatiónis Jesu Christi fílii David, fílii Abraham. Abraham génuit Isaac. Isaac autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Judam, et fratres ejus. Judas autem génuit Phares et Zamar de Thamar. Phares autem génuit Esron. Esron autem génuit Aram. Aram autem génuit Amínadab. Amínadab autem génuit Naásson. Naásson autem génuit Salmon. Salmon autem génuit Booz de Rahab. Booz autem génuit Obed ex Ruth. Obed autem génuit Jesse. Jesse autem génuit David regem. David autem rex génuit Salomónem ex ea quae fuit Uríae. Sálomon autem génuit Róboam. Róboam autem génuit Abíam. Abías autem génuit Asa. Asa autem génuit Jósaphat. Jósaphat autem génuit Joram. Joram autem génuit Ozíam. Ozías autem génuit Jóatham. Jóatham autem génuit Achaz. Achaz autem génuit Ezechíam. Ezechiás autem génuit Manássen. Manásses autem génuit Amon. Amon autem génuit Josíam. Josías autem génuit Je-choníam, et fratres ejus in trans-

migratióne Babylónis. Et post transmigratióne Babylónis, Je-chonias génuit Saláthiel. Saláthiel autem génuit Zoróbabel. Zoróbabel autem génuit Abíud. Abíud autem génuit Eliacim. Eliacim autem génuit Azor. Azor autem génuit Sadoc. Sadoc autem génuit Achim. Achim autem génuit Elíud. Elíud autem génuit Eleázar. Eleázar autem génuit Mathan. Mathan autem génuit Jacob. Jacob autem génuit Joseph virum Maríae, de qua natus est Jesus, qui vocátur Christus.

*Credo. et dicitur per totam Oct. etiam in festis intra eam occurribus.*

**Offertorium.** Misit Deus misericórdiam suam, et veritátem suam: animam meam eripuit de médo catulórum leónum.

### SECRETA.

**F**ac nos, clementíssime Deus, púris méntibus praesens tibi munus offérre, qui in corde Beatae Maríae Vírginis puram ab omni labe mansiónem praeparásti Jesu Christo Filio tuo, Dómino nostro, qui tecum vivit et regnat in unitáte Spíritus Sancti.

**Praefatio.** Et Te in Concep-tióne immaculáta et sic dicitur per totam Octavam et in Missis votivis.

**Communio.** Cant. 6. Ego dilécto meo, et diléctus meus mihi, qui páscitur inter lília. Allelúja.

### POSTCOMMUNIO.

**M**ensae caeléstis pasti delíciis, tuam, Deus misericórdiam im-plorámus, ut Sanctíssimae Vírgini-nis Maríae, quae semper tibi plá-cuit, précibus adjúti, nullis a te tentatióibus separémur. Per Dó-minum nostrum Jesum Christum.